# DE EPILEPSIA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM ... AD MEDICINÆ...

Francesco Perozzi



# DE EPILEPSIA

## Dissertatio inauguralis

QUAM

ANNUENTIBUS

PERILLUSTRI D. FACULTATIS MEDICÆ DIRECTORE

SPECTABILI D. DECANO

AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

**AUSPICE**

**DOCT. BARTHOLOMÆO PANIZZA**

ANATOM. HUMAN. P. O.

*CORONAE FERREAE EQUITE*

AD MEDICINÆ LAUREAM RITE ASSEQUENDAM

IN C. R. UNIVERSITATE TICINENSI

**Mense Martii 1847**

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

**PEROZZI FRANCISCUS**

VENETUS EX VICETIA.



TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII.



PATRI PERAMATO

MATRIQUE DILECTISSIMAE

D. D. D.



# DE EPILEPSIA



Inter tot tantasque morborum congeries, quae hominis valetutidem adgredi solent, summam Medicinae Practicorum attentionem praecipue requirunt Nevroses; et propter nobile substractum quod corripiunt, nec non per admodum variam harum adfectionum formam.

Nevroses illae singulorum nervorum, totiusve illorum systematis adfectiones nuncupantur, quae cum sensuum externorum, vel internorum, aut motuum muscularium, aut omnium simul laesionibus sese produnt.

Ex variis et terrificis formis, quae mihi in Nosocomiis crebrius praesto fuerunt est epilepsia, de qua nonnulla typis committere audeo non pro argumenti ipsius novitate sed ut Aca-

demicis obtemperem legibus, me de Laurea certantem aliquam de re medica dissertationem conscribere jubentibus.

## DEFINITIO MORBI.

Epilepsia ( morbus caducus, herculeus, divinus, lunaticus, comitialis ) est illa nevrosis quae universalibus corporis convulsionibus partim clonicis, rarius tonicis constat; et sensuum externorum, atque internorum abolitione comitatur.

## NOSOGRAPHIA.

Aegri qui hocce laborant morbo interdum datis temporibus, vel aliquibus sub circumstantiis, interdum vero extemplo ab illius insultibus convelluntur primo in casu epilepsia tribus stadiis, prodromis scilicet, convulsionibus, et soporositate expletur, in secundo autem morbi ingredientis symptomata desunt.

In primo stadio sequentia, ut plurimum, aegri praeseferunt phaenomena, quamdam inamaenam animi dispositionem, cephalaeam vagantem, pandiculationem, morositatem, coma vigile, vel somnolentiam gravem, arteriarum temporalium vibrationem, oculorum vertiginem,

vel scintillationem, pupillam modo contractam, modo expansam, olfactus atque auditus sensus saepe alienatos, tremorem musculorum faciei, labiorum titillationem, dentium stridorem.

Quidam vero ante insultum priapismo laborant, alii furore exardescunt, alteri vero auram epilepticam, idest formicationem, spiritus frigidi, vel tepentis a spina dorsali ad cerebrum serpentis sensum experiuntur.

Secundum init stadium insultus epilepticus. Tunc aegri ululatus, et ferinos rauca voce mugitus emittunt, incertisque gressibus huc illuc gyrum perractis tandem conscientia expertis humi procumbunt: graviores illico convulsiones evadunt, modo universales, modo partiales; totum corpus interdum antrorsum, aliquando ad latera, modo retrorsum flectitur: caput quoque mirum in modo rotatur, atque torquetur: oculi vel fixi, vel in orbita inversi, vel ex orbita protrudere videntur: musculi faciei terrifica contractione retrahuntur, et labia in spasmum cynicum, aut risum sardonicum arctata saepe observantur: inferior nonnunquam maxilla ita a superiori distrahitur ut luxatio oriatur: non raro e contra mandibula inferior tanta vi et celeritate ad superiorem adducitur, ut linguae ex ore prosilientis morsum, atque

abscissionem gignere valeat. Hisce adjungi debent: respiratio, quae adeo cum difficultate peragitur, ut continuam suffocationem minitetur: spastica musculorum laryngis, pectoris, et abdominis tensio, ex qua ejulatus, singultus, borborygmi, et ructus nauseosi, foetidi causantur: lotia et feces deponuntur, penis plerumque riget, et crebro sperma involuntarie ejaculatur: pulsus sub paroxysmi initio frequentes, irregulares, intermittentes, sub fine languidiores, et parvi fiunt: in ipso denique insultu sensuum facultates, conscientia, et motus voluntarii desiderantur. Hisce exagitati phaenomenis aegri ad stadium soporosum perveniunt: musculorum contractiones sensim sensimque mitescunt, respiratio liberior evadit, et coma profundum in scenam venit.

*Stadium tertium.* — Omnibus recensitis symptomatibus intensitate, et alacritate cessantibus pulsus regulares, pleniores, molles evadunt, color faciei normalis, et ipsa lineamenta fere naturalia redeunt: aegri in somnum letargicum incidunt, ex quo difficilius expergefiunt: post varium in singulis individuis temporis intervallum excitati sudor profusus, faedeolens erumpit, conscientia et sensuum facultates restituuntur, et tantummodo cephalaea, animi conster-

natio, laryngis constrictio, et defatigatio supersunt; quae omnia pedetentim patientes relinquunt, qui tamen per horas animo dejecti, immemores, et fatui morantur.

MORBI DECURSUS.

Paroxysmus epilepticus antypicus esse solet; quia non statutis temporibus, diu noctuque, pluries intra anni, mensis, hebdomadae, immo aliquoties pluries intra diei decursum exoritur: et omni vice paroxysmi duratio est valde varia, quia crebro ad decem aut quindecim horae sexagesima protrahitur, alias nonnisi per duos ingravescit, alias vero a dimidia ad integram usque horam perdurat.

DIVISIONES.

Multae atque admodum variae sunt hujus adfectionis divisiones: nos autem clarissimorum de epilepsia scriptorum sententia ducti sequentes amplectimus.

Quoad originem: habemus *idiopathicam* cujus duplex est species: E. *idiopathica cerebralis*, et E. *idiopathica medullari-gangliaris*: prouti cerebrum, vel medullam spinalem, aut ner-

vos gangliares adgreditur: hinc E. *sympathicam, substantivam, symptomaticam, haereditariam, connatam*, et *acquisitam*

Quoad characterem distinguitur *epilepsia activa*, et *passiva*.

Quoad formam: E. *stataria, cursiva, gyratoria, caduca* omnium frequentissima.

Quoad decursum: E. *acuta*, *chronica*, et *Epil. typica, atypica.*

Quoad complicationes: E. *simplex* et *complicata.*

## AETIOLOGIA.

Ad causas, quae epilepsiae favent, referuntur disponentes, et occasionales: ad disponentes spectant: dispositio haereditaria, connata, vel acquisita: aetas praeprimis infantilis et puerilis: habitus corporis gracilis, ob vegetationem, retardatam aut, per incrementum corporis nimis precox, imperfectam: mala conformatio, vel structura vitiosa columnae vertebralis et medullae spinalis; educatio perversa, et praecipue primo post partum tempore: imprudens stimulorum externorum in infantem directio, uti caloris externi repentina mutatio, victus incongruus, lotio cum aqua nimis frigida repetitis vicibus instituta: constrictio quae-

libet corporis infantilis, qua organa digestioni inserventia comprimuntur, respiratio impeditur, nutritio retardatur, et functionum harmonia aufertur, ex quibus omnibus incitabilitas et sensibilitas ultra modum augentur, et ad hunc morbum disponunt. In aetate autem virili fomites sunt: deperditum vitae genus, nimia Bacco et Veneri iudulgentia, immodica in studia adplicatio, et sic porro, quae omnia vires, phisicas et psychicas nimium intendunt, ideoque serius occius labefactantur.

Caussae occasionales quae huic adfectioni originem provocare valent, in dynamicas et mechanicas sejunguntur.

Dynamicis adnumeranda veniunt animi pathemata tum excitantia, etsi rarius, tum deprimentia. Creberrimam Epilepsiae caussam animi pathemata deprimentia sistunt: organismi enim reactionem in potentias externas minuunt, quod vitalitatem deprimunt, et si diutius in organismum vitalem agunt, debilitatem in systemate nervoso et musculari, stimulique impatientiam inducunt. Plures extant historiae quae Epilepsiam ab amore infelici, a metu et terrore, a tristitia, ortum duxisse ferunt. Ab animi pathematibus excitantibus quoque Epilepsia quandoque promovetur, uti ab amoris excessu, ab ira, nec non ab inopinato gaudio.

*Peculiares nervorum adfectiones*, quae in variis evolutionis periodis exoriri possunt, uti in periodo primae et secundae dentitionis, pubertatis, menstruationis, conceptionis, graviditatis etc.; insuper impressio, quam nonnunquam epileptici adspectus, praecipue in individuis ad hunc morbum dispositis, efficere valet.

*Plethora et inopia sanguinis humorumque aliorum nobilium.* Congestio non modo sanguinea in vasis cerebri, sed etiam lymphatico-serosa in vasis lymphatico-serosis et exhalantibus cerebri et cerebelli facta, quae plerumque cum effusione aliqua serosa cerebrique inde pressione juncta est, inter caussas Epilepsiae cerebralis occasionales pertinet.

Ast inopia quoque sanguinis, humorumque aliorum nobilium Epilepsiae caussa est frequens. Ad has spectant quae sanguinis quantitatem directe vel indirecte imminuunt; praeterea humorum nobilium jacturam e. g. galactirrhaea, diabetes, sudores, diarrhoea profusa, ptyalismus, spermatorrhoea coitu, vel masturbatione inducta.

Inter caussas mechanicas praecipue numerantur:

*Irritamenta mechanica externa:* uti titil-

latio, praeprimis in planta pedis nimis protracta fasciae stringentes, indusia dura etc.

*Irritamenta mechanica interna* — Uti enthelminta, quae suctu, morsu et motu systema nervosum gangliare nec non processum plasticum offendunt: deinde calculi urinales, fellei; vitia organica quae pressione mechanica partium sensibilium epilepsiam producunt: e. g. tubercula, tophi cranii, fungus cerebri, apostema, a quibus functiones encephali mechanica pressione impediuntur: adde medullae spinalis degenerationes, vertebrae per cariem destructae, aut cartilaginibus ossificatis coalitae, unde medulla et nervi ex ipsa prodeuntes distrahi, comprimi, et e situ amoveri debent.

## PROGNOSIS.

Epilepsia ad morbos generatim chronicos, graves, vitae etiamsi rarius ex morbi vehementia, plerumque tamen per morbos posthumos summum saepe discrimen inducentes jure refertur, et ideo Prognosim nonnisi arctis circumscribimus limitibus. In singulo tamen casu prognosis dependet.

1. A caussis excitantibus, earumque agendi ratione.

2. A dispositione individui, et constitutione.

3. A varia morbi hujus natura, forma, et modificatione.

Melioris ominis attamen prognosis statuenda erit: in Epilepsia, quae in aetate puerili et juvenili ingruit, saepius enim absque pharmacis per incipientem pubertatis periodum aufertur: in Epilepsia quae a plethora originem sumit, dum sanguinis profluvio spontaneo, vel artificiali saepe tollitur: in illa, quae ex sordibus gastricis aut vermibus ortum ducit: in illa, quae a difficili exanthematis eruptione dependet: et tandem in Epilepsia, quae ab alio morbo procedit, quod hoc abrepto, ista quoque devincitur.

Mali ominis e contra prognosim statuimus: si neonati hoc morbo corripiuntur, si epilepsia est haereditaria, in individuis irritabilibus et sensibilioribus; si e sanguinis aliorumve humorum nobilium jactura exoritur; si epilepsiae caussam pathema deprimens sistit; si cum vesaniis complicata occurrit; aut vitiis organicis in cerebro vel medulla spinali innititur.

## THERAPIA.

Medendi methodus, uti in quocumque morbo, ad caussas, quae illum excitant atque sustinent propellendas dirigenda est. In epilepsia igitur eadem utimur methodo, et in cura palliativa, seu quae accessus praecavere, aut mitiores reddere, et in cura radicali, seu quae morbum ipsum infringere valet, sejungitur.

*Cura palliativa* — Si insultus epilepticus prodromis certis jam expositis fere imminens suspicatur, tunc ab egregiis in praxi Medica viris remedia propinantur illa, quae paroxismum penitus amoveant, vel saltem ipsius gravitatem imminuant.

Nonnulli ad saburras eliminandas hora una ante insultum emeticum plena dosi porrectum laudare consuescunt: alii adplicationem vesicantium in planta pedis, et clysmatum purgantibus fortioribus paratorum administrationem, nec non frictiones cum tinctura cantharidum ad spinam dorsalem summopere commendant. Sub ipso insultu, ne sibi aeger damnum afferat, aut immodica jactatione, et membrorum convulsione, praecavendum est: itidem dentibus frustulum lini interponendum, ne lingua ex ore

protrusa pro paroxysmi violentia dentibus collisis praescindatur. His adjungi debet quod per aegri cubiculum aer spiret purus, frigidiusculus, et ab ipso cubiculo inutiles non modo, sed nocentes arceantur spectatores: odores spirituosi generatim eliminentur, nam sanguinis adfluxum versus encephalon promovent: quod si congestio encephalica apoplexiam minitetur, tunc depletio sanguinis universalis, modo localis, pro diversa scilicet congestionis dignitate, est immediate instituenda.

Paroxysmus tandem ad finem perveniet, tunc aegro absoluta concedatur quies, ut vires jam labefactatas sensim sensimque restaurare valeat: hinc fasciis et vinculis omnibus sepositis in lectum deponatur: quum autem expergefit summam animi corporisque placiditatem Medicus illi commendet: si vero maxima esset debilitas aliquot guttulae spiritus aetheris sulfurici ipsius ori instillentur.

*Cura radicalis* — Oportet praeprimis ut Medicus morbi caussas detegat, quae morbum ipsum produxerunt, et sustinent, quibus cognitis illas opportunis remediis amovere studeat. Caussis vero ablatis, eam medendi methodum adhibere debet, quae ad sedem epilepsiae, characterem, ad symptomata constantiora, ad

ipsius decursum, complicationes, et ad ipsos effectus jam obtentos, idonea sit.

Ex quo facile patet, quod si activa tractanda erit epilepsia cum viribus in systemate vasorum coexcedentibus, sub cujus insultu congestiones versus encephalon emineant, venaesectionem expostulabit: dein fomenta frigida capiti imponenda erunt, hinc nitrum, sales sulfurici, et tartrici, emulsiones, decocta mucilaginosa, nec non diaeta negativa propinabuntur.

Si vero in epilepsia torpor aut languor eminent, si extremitates frigent, pulsus sunt parvi, si sudor profusus e corpore manat, infractus sanguinis circuitus, si stadium soporosum diutius protrahitur, ex quo aegri excitati imbecillitatem, et amentiam ostendunt, tunc excitantia pharmaca interne commendantur: ut valeriana cum assa foetida, cum moscho, castoreo: liquor cornu cervi, oleum animali Dippeli: nec non clysmata ex infuso ipsius valerianae et assae foetidae: externe vesicantia, frictiones cum tinctura cantharidum, fonticuli, atque moxae ad varias corporis regiones adplicatio.

Si epilepsia a vermibus officinam entericam nidulantibus dependet, uti in pueris occurrit, tunc anthelmintica utendum est cura: si a chlo-

rosi causatur ad therapiam rite instituendam praeparata martis pluribus laudibus erunt praedicanda.

Antagonistice vero actionem exerunt electivam et super nervos, et supra cutim: tartarus emeticus dosibus refractis ut nauseam pro tempore moveat: flores et sulfas zinci, cuprum ammoniacale, nitras argenti fusi, flores arnicae, nux vomica.

Quando autem epilepsia ab exanthematibus retropulsis, a menstruis, haemorrhoidibus suppressis sustinetur, tunc exanthemata ad cutis superficiem revocare, menstrua et haemorrhoides promovere debemus.

In valetudinis therapia superstites epilepsiae effectus corrigere, et in eumdem morbum proclivitatem praecavere necesse est. Inter effectus de quibus post hanc adfectionem aeger adhuc conqueritur sunt: debilitas universalis cum sensu modo adauctae, modo imminutae sensibilitati; adpetitus, digestionis, circulationis laesiones, alienata se et excretionum conditio, emaciatio, paralysis: ideoque valetudinario interest ut animi corporisque placiditatem omni nisu servet, quotidianam ex nutrientibus cibis diaetam sumat, oblectamentis socialibus gaudeat, somno et vigilia prudenter indulgeat, et ubi

aer spirat purus electricus, amoenas et salubres incolat regiones.

Ad praecavendam vero proclivitatem, quae utinam non adeo facilis esset! omnes potentias nocentes cum caussa producente nexum habentes epilepticus effugere debet, ut castigato agendi regimine, vitam non inamoenam vivere possit.

FINIS.

## THESES DEFENDENDAE.

1. Iracundia ad apoplexiam disponit.

2. Pubertas modo morborum fomes, modo levamen.

3. Medicus se ipsum non curat: si curat, male curat.

4. Obesitas mechanice, et dynamice foecunditati contraria.

5. Thermogeneseos fons in pulmonibus residet.

6. Fiducia aegrotantis in medico magnam saepe therapiae paginam absolvit.